

superius dictum, ad meliorem presentis nostrae Separatae Ani-
mae intelligentiam faciunt.

ΠΡΑΓΜΑΤΟΛΟΓΙΑ.

I.

QVÆSTIO ἡ ἑστ.

§. 4. Quod proverbii locum alioquin meretur, nullam
scil. doctrinam tantis absurditatum nebulis fuisse involutam,
quin suos quandoque habuerit patronos; illud hoc in loco pa-
tet clarissimè. Nam licet nemo, nisi ἀρρωστία Νόστος laborans,
animæ π' ὄλ negaverit, factum tamen id esse non negabitur.
Dicæarchus (ρ) enim & Aristoxenus Animam nomen inane
esse, nullam esse ejus naturam asseverabant. Haud minus fal-
luntur vel insaniunt, qui nostram Animam mortalem esse præ-
dicarunt (σ), ejus rei Autorem de porcorum grege ducem i-
psam, nempe Epicurum cum asseclis suis (τ) Plato dementes,
minutos verò Tullius (υ) appellant, quorum dicta (Φ) Scriptu-
ra μινηλικώς satis exprimit. Lucretius (χ) triginta amplius
argumentis animi mortalitatem asserere conatur. Plinius (ψ)
de brutorum optimè, de nostra pessimè meritis Anima etiam
cum Sarcasmo in immortalitatis assertores invehitur. Galenus
(ω) quoque dubius esse videtur, quia diversis in locis de Ani-
ma diversimode loquitur. Platonem alicubi perstringit, quod
immortalitatis patrocinium susceperit; alibi (α) tamen non de-
cipi eos, qui Animam immortalem dicant, clarè pronunciat.

Nec

(ρ) Teste B Laëtan. de opific. Dei c. 16. Vid. J. Martin. Metaph.
lib. 2. Exerc. 11. thes. 3. p. 555. (σ) uti refert Democr. ap. Plaut.
Philos. c. 7. Augustin. lib. 6. confess. c. 16. (τ) Lib. 11. de Legali-
bus. (υ) lib. de Senectute. (Φ) Esa. 32. v. 13. 1. Cor. 15. v. 32. Sap. 21.
v. 2. 3. (χ) lib. 3. qui est de natura rerum. Vid. Morneus de ve-
rit. Relig. p. 233. (ψ) lib. 7. Hist. Nat. c. 55. citante B. Scheurl.
in Epit. Theol. Nat. disput. 3. §. 1. in qua verba consule Comm.
Plin. Alph. Aquæam fol. 89. F. 1. (ω) lib. qui inscribitur quod a-
nimi mores corporis temperantiam seq. (α) in lib. de trem. &
rigore.